Zu der

# öffentlichen Classenprüfung

den 30. 31. März, 1. 3. 4. April,

so wie

## zu der Entlassungsfeier und den Reden

Freitag den 7. April, Nachmittags 3 Uhr,

ladet

**die Behörden der Stadt, so wie alle Freunde der Schule**

ehrerbietigst und geziemend ein

Dr. Ph. **E. G. Chr. Vollbehr,** Rector.

**Glückstadt, 1865.**

Gedruckt bei W. Augustin.

# DE

# LINGUA ROMANA RUSTICA

## QUAESTIONUM GRAMMATICARUM

PARTICULA I.

SCRIPSIT

GUIL. BERBLINGER.

Cum hac disputatione nobis propositum sit, in linguae romanae rusticae, qualis antiquiore tempore fuerit, naturam inquirere, haud alienum a re erit, priusquam ad ipsam quaestionem transimus, de duabus sententiis disputare, quae de ea et tam diversis temporibus et a tam diversis partibus prolatae sunt. Quanquam enim jam inter omnes constat, linguas, quae dicuntur romanenses, non ex elegantiore lingua latina esse profectas, sed ex plebis lingua vulgari, tamen non defuerunt, qui ejusmodi dictionem vulgarem vel rusticam nunquam Romae fuisse, immo illas linguas ex corrupta lingua latina ortas esse contenderent. Haec est sententia Floridi Sabini lectt. subcis. II, 1 qui linguam latinam omni tempore et plebi et eruditis „promiscuam fuisse" docet et similiter Bembo, Prose I, p. 13 judicat: se ella stata fosse lingua in quelle stagioni, se ne vederebbe alcuna memoria negli antichi edifici et nelle sepulture, si come se ne vedono molte della Latina et della Greca, et p. 14 perché si puó conchiudere, che si come noi hora due lingue habbiamo ad usanza una moderna, che è la Volgare, l'altra antica, che è la Latina, cosi haveno i Romani huomini di quelli tempi et non più et queste sono la Latina, chè era loro moderna et la Greca, che era loro antica. In similem sententiam Raynouardus inclinat gram. comp. p. 48 et même les savants, qui ont démontré, que le peuple de Rome et des compagnes parlait un latin corrumpu, se servait d'expressions et de termes insolites ou inélégants et de tournures triviales n'ont-ils pas fourni par leurs propres recherches une preuve évidente, qu'il n'existait pas à Rome un idiome particulier, puisque ces termes, ces mots, quoique grossiers, étaient toutefois employés selon l'esprit et d'après les formes de la grammaire latine? Quae sententia Floridi Sabini, a Francisco Philelpho 9, 6 et 37, 2 resumpta, a Leonardo Bruno Aretino in epistola 6, 10 ad Flavium Biondum scripta ita refutata est, ut ille quoque vir doctissimus a recta via aberrasse videatur. Dicit enim latinam linguam i. e. elegantiorem romanam differre a vulgari terminatione, inflexione, significatione, constructione, accentu et praestantes homines oratorem latine litterateque concionantem praeclare in-

tellexisse, pistores vera et lanistas sic intellexisse, ut nunc intelligerent missarum solemnia (cfr. Walch, hist. crit. ling. latin. p. 117, et Blanc gramm. ital. p. 3). Cujus sententiam seculo decimo octavo suam fecit Celso Cittadini in trattato della vera origine della lingua latina p. 3 qui, egli é da sapere, inquit, che per ogni tempore furono in Roma due sorte di lingua, l'una rozza et mezzo barbara, la quale era propria del volgo o vogliamo dire della gente bassa — — principalmente la lingua antica del volgo s'è conservata fra noi. —

Multis testimoniis et longa disceptatione illorum virorum sententias refutare omnino necesse non est. Nam recte Diezius (gramm. ling. roman. I, p. 4) dicit: das Dasein der niederen Sprachform ist eine Sache, die eigentlich, was Rom betrifft, so wenig eines Beweises bedarf, dass man vielmehr für das Gegentheil als Ausnahme von der allgemeinen Regel Beweise zu verlangen berechtigt wäre; cfr. Wilcke, über die Umgangspr. der Römer, Jahn. Ann. phil. 1833 suppl. 2, p. 495.

Nempe cum in quaque terra plebs suo sermonis genere, quod vel magis vel minus ab ipsa populi lingua recedit, utatur, mirum esse nequit, si apud Romanos quoque hoc usu venire videmus. Idque eo minus, cum ab ipsa urbe condita reipublicae rationes ita fuerint constitutae, ut ordines civitatis distinctis finibus essent secreti. Patricii, qui summa reipublicae obtinebant, omnibusque muneribus publicis fungebantur, plebem quae ad eos adspirare non potuit fere nihil curabant; quo factum est, ut duo fere populi unius civitatis quasi vinculo continerentur. Ut omnes vitae rationes et conditiones, ita sermonem quoque plebejum non curabant. Immo cum suam quaeque lingua viam pergeret, in dies hebetata et attenuata est. Est enim omnium linguarum lex generalis, ut formae pleniores et perfectiores usu quasi consumantur vel tempore adedantur, vel ut aliis verbis dicam, ut ex statu synthetico ad analyticum procedant; nec latina lingua hanc sortem effugere potuit. Eodem vero tempore, quo litterarum studium apud Romanos effloruit (id quod serius factum est) prima quoque artis grammaticae vestigia exstant. Homines enim eruditi et graecis litteris imbuti ut linguae ruinam iamiamque imminentem caverent necessarium esse certam normam linguae admovere haud ignorabant. Atque primus Spurius Carvilius litteraturam constituisse fertur (ann. 520 a. u. c. [234] cfr. Plut. quaest. Rom. cap. 59; Schneider Gram. lat. I, 270; Mommsen. Unt. Dial. p. 33). Eodem fere tempore Livius Andronicus primus fabulam Romae docuit; qua viam ad Graecas litteras percipiendas aperuit ac praemunivit. Anno 520 (204) Romam venit Ennius, qui summo jure regenerator linguae romanae dicitur (cfr. Ritschl. Mus. rhen. XIV, p. 396 e. s.); nam non eo solum, quod Graecas litteras Romam transferendo linguae latinae quasi exemplar proposuit imitandum, optime de ea meritus est, sed hexametro inducto quasi formam linguae admovit, in quam coartaret; ille incertas et fluctuantes voces constituit et sonos

litterarum signis defixit. Iis, quae praeceptis constituerat, in consuetudine, quae cum nobilissimis viris, Scipionibus, Flaminiis, Fulviis ei intercedebat, auctoritatem afferre studuit. Anno, quo mortuus est Ennius, natus est Accius, qui anno fere 620 (134) orthographiam mensuramque syllabarum certis legibus defixit (cfr. Ritschl. monum. epigr. tr. p. 22). Contra eum Lucilius inde ab anno 640 (114) fecit, qui Acci novationes multaque linguae vitia in saturis perstrinxit. Quibus praeceptis suis quantum profecerit, ex monumentis publicis, quae hujus temporis feruntur, aperte perspicitur. Jam vero quam maxime grammatici in lingua moderanda et temperanda elaboraverunt tempore Sullae, quod nescio an summo jure quasi cardo nominari possit antiquioris aetatis et recentioris. Bellum enim Marsicum cum omnes socios Latinos in eadem jura ac cives Romanos vindicaret, lingua quoque inde ab hoc tempore, omni colore, ut ita dicam, provinciali absterso, eandem ubique speciem prae se ferebat. — Ipse Sulla non in rebus publicis constituendis acquievit, sed consilio amici Corn. Epicadi grammatici usus multum in lingua quoque elaboravit (Suet. de gramm. 12). Neque Pompejus nec Caesar ab hoc litterarum studio alieni erant (Mar. Victor. 1, 4); constat Caesarem libros quosdam de analogia conscripsisse, quos fortunae invidia nobis ereptos esse maximopere dolendum est. —

Jam vero plebis lingua ab omnibus his novis rationibus, ex virorum doctrina scientiaque profectis, maxime aliena naturalem illum vigorem et incorruptam sinceritatem servavit; quanquam ab illo cursu deformationis et depravationis, in quem incurrerat, paullulum recessit. Jam si nobis informamus, quanta tenacitate plebs maiorum mores et consuetudines totamque vivendi et dicendi rationem quasi antiquitate et religione consecratam et sancitam servare soleat, perfacile nobis persuadebimus, magnam futuram esse differentiam inter utrumque dicendi genus. —

Differentia quae exstabat inter linguam vulgarem et nobiliorem tantum aberat, ut ad Romanas litteras promovendas tribueret, ut e contrario earum progressionem retardaret et debilitaret. — Litterae enim romanae, quo tempore primum nascebantur, rudi et incondita lingua utebantur. — Quisquis pro viribus et facultate dictionem, quae omni aequabilitate et perfectione carebat, sibi paravit. Atque primum poetae, ut jam supra vidimus, qui ad Graecarum litterarum normam eam revocabant et qui litteraturam, sonos, syllabas constituebant, linguam aptiorem reddere studuerunt. Itaque quam maxime auctore Ennio poesis ad Graecas litteras sese accommodavit; neque in eo poeta acquievit, ut Graecas litteras quasi exemplar sibi proponeret, sed ipsa linguae Romanae elementa affecta sunt (Quint. 12, 10, 27; Ritschl. mon. epig. tr. 10, 32; tit. Mumm. p. 4). Ciceronis vero tempore res omnino mutatae sunt; lingua enim, quae ad summum perfectionis fastigium elata est, ab omnibus incrementis Graecis se defendit, quin etiam omnia, quae rus et peregrinum redolebant, respuit et repudiavit. — Nempe hoc tempore notiones illae

latinitatis et urbanitatis ortae sunt, de quibus uberius Cicero de orat. 3, 12, 44 docet „quare cum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur; neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus — — sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur, non aspere, non vaste, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter"; cfr. Quint. 6, 3, 17 „nam et urbanitatis dicitur, qua quidem significari video sermonem praeferentem in verbis et sono proprium quendam gustum urbis et sumtam ex conversatione doctorum virorum tacitam eruditionem, denique cui contraria sit rusticitas"; et paullo post 6, 3, 107 „et mea quidem sententia illa est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque sensu neque verbis neque ore gestuve possit reprehendi" (cfr. Cic. Brut. 46, 171; 74, 258; ad Heren. 4, 12, 17). Quin etiam tempore Augusti Domitius Marsus disputationem conscripsit de urbanitate, de qua Quint. 6, 3, 104. — Quanta igitur anxietate vel poetae vel oratores omnia effugerint, quae ab urbanitate aliena erant, ex his multisque aliis testimoniis apparet. Quae cum ita essent, dictio illa vulgaris nisi in scena locum habere non potuit. — Quod haud dubie detrimento linguae latinae factum est. Nempe si lingua nobilis atque vulgaris recto modo inter se conjunguntur, ut, quod utrique proprium est, commisceatur, salubritas quaedam et sanitas effici potest; dictio enim vulgaris, quae succo et sanguine abundat, vigorem et materiam linguae suppeditat, nobilis dictio elegantiam et puritatem (cfr. Fuchs, Verhandl. der 7ten Phil. Vers. p. 38 so lange dieser Gegenstand sein richtiges Maass behält, entspringen aus demselben zwei sich gegenseitig ergänzende Quellen, die Kraft und die Läuterung; Kraft und Reichthum gewährt die Volkssprache, Läuterung bringen ihr die Gelehrten; et quam maxime Bernhardy, hist. litter. Roman. I, p. 30). Sed viri penes quos erat linguam vel praeceptis vel auctoritate, qua fruebantur, constituere rus ejusque dictionem, ut vidimus, fastidiebant; quo factum est, ut illius aetatis, quae vulgo dicitur argentea (inde a Tiberio usque ad Hadrianum) scriptores, cum lingua omni naturali et sincero vigore expers esset, ad artem rhetoricam refugientes vel elaborata concinnitate vel verborum sententiarumque argutiis aurium voluptati servirent. — Quomodo deinde imperio labente lingua quoque corruere inceperit, quomodo denique elegantiore lingua prorsus abolita vulgaris dictio se protulerit atque ex ea linguae quae dicuntur romanenses ortae sint, extra fines huius disputationis positum est (Bernhardy, hist. litt. Rom. I, 335 e. s.). Hoc quidem probasse mihi videor, dictionem plebeiam vel vulgarem et fuisse et esse debuisse.

Priusquam vero ad ipsam iam quaestionem transimus, pauca quaedam de fontibus ac de rationibus, quas secutus sum, praemittenda videntur, quippe quae in argumentis dijudicandis haud parvi momenti futura sint. —

Ut a pronunciatione incipiamus, in eam ex inscriptionibus potissimum concludere licet. — Attamen cum non omnes inscriptiones eiusdem auctoritatis habendae sint, eas potissimum respiciamus quae dictionem plebeiam exhibent. — Quanquam ad hanc normam si titulos revocamus, omnes qui publica auctoritate facti sunt videntur esse secludendi, tamen haud negligendum est plebem antiquitatis esse tenacissimam et saepius nobis licere, si quidem alia argumenta accedant, ex antiquiore dictione de plebeia concludere. Et quanquam in plebeiis titulis dijudicandis vel erroris vel inscientiae ratio habenda est, tamen in universum constat, homines non satis eruditos ita scribere solere, ut pronunciant. — Licet igitur haud dubie ex scriptione conjecturam facere de pronunciatione. Quo magis dolendum est, Mommseni inscriptionibus regni Neopolitani exceptis nullam editionem titulorum antiquiorum ad archetyporum fidem expressam exstare, cum plerique editores vel negligenter exscripserint titulos, vel praepropere emendarint.*) Id quod de inscriptionibus in universum dixi, haud minus valet in inscriptionibus Pompeianis, quae ex ipsa plebe ortae ejus dictionem quam maxime enucleate exhibent (edid. Garucci, graffiti, inscriptions, gravées aux trêmes sur les murs de Pompéi, Brux. 1854; Lénormant, des inscriptions de Pompéi. Păr. 1854). Ipse enim Lénormant dicit, p. 31 se amovisse „des fautes d'orthographe et des incorrections de toute sorte, qu'on a pu relever dans les citations précédantes et dont nos latinistes de collége auraient droit de s'effaroucher.“ — Praeterea ad eos potissimum scriptores nobis refugiendum est, qui sermonem plebeium exhibent, scilicet ad Plautum comicorumque fragmenta. Neque in his poetis negligendum est, comicorum fabulas et maxime Plauti, quae fuit mira ejus sors, posteriorum temporum recensione vehementer perpolitas horumque temporum dictioni adaptatas esse. Recte Ritschelius in prol. ad Trin. p. XCII „neque enim dubitandum est, inquit, quin ea aetate, qua criticae recensionis h. e. legitimae ἐκδόσεως certo consilio susceptae et ad artis rationes paratae beneficio posteriorum commodis consultum est (quam ego aetatem non minore quam duorum seculorum intervallo ab ipsius morte poetae discretam suspicor) etiam scribendorum vocabulorum antiquitas partim jam evanida fuerit in Plautinis exemplaribus, partim ad recentioris consuetudinis normam sit deflexa. — Nempe si nobis informamus Plauti fabulas eodem fere tempore ortas esse, quo senatus consultum de Bacchanalibus (ann. u. 568 [186]) differentiam, quae exstat, alio modo explicare nequimus (cfr. Corss. de pronunc. I, p. 163). — Quod haud minime in paucis Atellanarum fabulis valet, quae maxima ex parte apud Nonium miserrime corruptae exstant. Fabula Atellana quanquam ex ipsa plebe profecta est, tamen fragmenta Pomponii, Novii, Laberii, Publii Syri

---

*) Fr. Ritscheli monumenta priscae latinitatis, et Mommseni corpus inscriptionum latinarum eo tempore quo hanc disputationem conscripsi nondum evolvere mihi licuit neque adhuc diligentiori eorum studio vacavi.

non eum sermonem exhibent, qualis in foris atque plateis Romae audiebatur; et quanquam Munkii sententiam (de fabulis Atellanis p. 57) probo, qui sermonem Atellanarum multa ruris et vetustatis vestigia continuisse putat, tamen poetae ad politiorem potius dictionem adspirare videntur, quod recte Fronto ad M. Caes. 4, 3 p. 324 animadvertit, Novium et Pomponium elegantes fuisse in verbis rusticis; cfr. Quint. 2, 10, 13, quod faciunt actores comici, qui nec ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, pronunciant, quod esset sine arte: nec procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imitatio: sed morem communis huius sermonis decore quodam scenico exornant. De dictione Atellanarum praeterea conferendi sunt: Munkius de L. Pomp. p. 52; Schober de Atell. p. 23; Varr. d. l. Lat. 7, 84; Nonius 166, 30 rusticatim. —

Praeter hos, quos nominavi, fontes imprimis Catonis et Varronis scripta inspexi, quippe cum uterque a politiore dictione alienus vetustiorem ideoque vulgariorem sermonem adamet. —

Ac de fontibus hactenus. Jam ad ipsam rem, quam nobis proposuimus, transeuntes si quaerimus, quatenus lingua romana rustica a politiore dicendi genere discesserit, summatim de hac quaestione Bernhardy (hist. litt. Roman. I, p. 339, adn. 240) judicat: sermonem usualem negligentem pronunciationem prae se tulisse, flexiones ab usu artis grammaticae recedentes, verba sordida et quasi naturalia, nativam quandam sententiarum et imaginum indolem. In universum igitur cum Bruno Aretino consentit, cuius sententiam supra (p. 1) exhibuimus. Ampliorem de syntaxi sententiam Blancius in prooemio grammaticae italianae profert, quam exscribere placet: der gemeine Mann kann die mannigfaltigen Endungen einer scharf ausgeprägten Declination und Conjugation nicht richtig behalten, feinere Gedankenbeziehungen gehen ihm ab, er ignorirt das Regimen der Präpositionen, behagliche, breite Ausführung, da er die scharf begränzte, gedrängte Form nicht zu erfassen versteht, Präpositionen zur Bezeichnung der Casusbeziehungen, Artikel vor dem Substantiv, Comparative mit plus und minus, Anwendung von Hülfszeitwörtern etc.

Num recte de hac re viri docti judicaverint, ex ipsa disputatione apparebit. —

---

Itaque ut ab vocalismo linguae vulgaris incipiamus, diphthongorum sors eadem erat, quae in multis aliis linguis, scilicet ut diphthongi ad monophthongos supprimerentur. — In antiquiore lingua Romana diphthongum *ai* et in radicibus verborum et in flexionibus multo latius viguisse, notum est (cfr. Corss. pron. I. p. 178). Inde a tempore belli Syriaci diphthongus *ai* in *ae* transire coepit; cuius mutationis antiquissimum, quantum scio, exemplum est in Sco. de Bacch. (ann. 187) ubi legitur in initio: apud aedem Due-

lonai. In sequentibus titulis cum diphthongus *ae* omnino praevaleat, hoc tempore pronunciationem quoque hujus diphthongi praevaluisse conjicere licet. Jam vero hanc diphthongum ad vocalem *e* suppressam esse in lingua vulgari, et tituli docent, et testimoniis traditum est. — Varro enim de l. l. V, 97 ircus, inquit, quod Sabini fircus; quod illic fedus in Latio rure edus; qui in urbe, ut in multis, A addito aedus; et de l. l. VII, 96 in pluribus verbis A ante E alii ponunt, alii non . . . ac rustici Pappum Mesium, non Maesium. Praeterea tradit de l. l. 7, 96 Lucilium praetorem Caecilium propter pronunciationem rus redolentem irrisisse: „Cecilius pretor ne rusticus fiat." — In antiquis titulis non ita saepe usu venit, cuius rei testem gravissimum Ritschelium affero (de fict. litt. p. 22) ac rarior est sane in antiquiore lingua e vocalis vicaria diphthongi, verum eadem tamen aliquot exemplis certa. — Tale est, quod pervetustus titulus Marsicus in in Momms. J. R. N. 5567 questores exhibet, item Paestanus nummus Pestano; ad quod genus Mommsenius de dial. p. 242 rettulisse Cesula nomen videtur, quod est in uno Pisaurensium titulorum, quippe a caesius vocabulo ductum nec origine sua diversum a Caesella. Nec enim satis confidenter priscis dativis illis atque adeo genetivis utor: Diane, Fortune, Victorie, Provincies (sc. contractum ex Provinciaes), ut quos intelligam etiam aliam quandam explicandi rationem admittere. — Quodsi qui forte ex rustica pronunciandi consuetudine haec omnia ac similia repetere animum inducant, non video hoc contra valiturum. Non ignoro proditum esse edum „in Latio rure" (Varr. d. l. l. 5, 97 Diom. II, p. 447). At idem scio ipsius antiquitatis non fuisse tenaciorem custodem conservatricemque constantiorem quam eorundem rusticorum hominum consuetudinem." — In posteriore plebis lingua, qualis erat post Augustum, inter vocalem e et diphthongum ae omnino nullum discrimen erat, ut ex summa exemplorum copia apparet, quam apud Corss. I, p. 186 e. s. congestam invenies. Haec quoque videtur caussa fuisse illius scriptionis discrepantiae, quae in plurimis verbis exstat, cum et tituli et libri manuscripti saepissime diversas in iisdem verbis scriptiones exhibeant (Lachm. Lucr. p. 143, 271, 339, 384). Itaque quanquam in fragmentis Pomponii v. 91 heret, v. 148 pedicavi, v. 93 penulam, v. 81 mestus, apud Novium, v. 17 premiate, apud Caecilium Statium hec, et similia multis locis codicibus tradita sunt, neque omnino dubito, quin ita in scena quidem pronunciata sint, tamen hae formae summo jure in verborum contextum receptae non sunt. Nempe quo tempore codices conscribebantur et vocalis et diphthongus plane eodem sono pronunciabantur (cfr. Ritchl., prol. in Trin. p. 97). Simili modo reliquae quoque diphthongi debilitatae sunt; *au* diphthongus, quae antiquissima erat in lingua latina, ad *o* vocalem supprimebatur. Cujus mutationis exempla congessit Corssenius I, 167. Ipse Festus p. 182 tradit, rusticos „orum" dixisse pro „aurum", p. 265 „rodus" pro „raudus", cfr. Prisc. I, p. 52.

In Catonis scriptis exstabat dehorito pro dehaurito; Novius fabulam composuit, cui nomen Maccius Copo inscriptum erat (eadem forma Petr. cap. 39); quin etiam copo (feminini generis) pro caupa in titulis exstat (Jahn, act. societ. Saxon. 1862; Momms. J. N. R. 5078, Garucci stor. di Isern. p. 135, 65). In fragmento Caecilii Statii v. 39 hic versus exstat:

haec caterva plena gladiatoria.
Cum suum sibi alius socius socium sauciat,

ex quo apparere videtur, poetam non sauciat, sed sociat pronunciasse. — Ceterum ex exemplis, quae Corssenius I. p. 164—167 contulit,*) liquet omni tempore discrepantiam fuisse inter au et o, attamen nunquam diphthongum au plane desiisse. Ac sicuti homines politiores diphthongum servabant, ita plebeji potius vocalem o. Quo referenda est narratiuncula Suetonii (Vesp. cap. 22), Vespasianum praeceptorem Mestrium Florum, qui ei pronunciationem rusticam vocis „plostra“ exprobaverat, Mestrium Flaurum appellasse. —

De diphthongis hactenus; nam reliquae diphthongi, ov, ei, eu, oi, oe jam antiquo tempore suppressae in lingua vulgari eundem sonum habebant, quem lingua politior exhibuit.

Transimus jam ad vocales, atque primum de natura litterae E disputandum nobis est, cuius usus in lingua vulgari longissime patebat. Ac vel maxime notandum est, id quod et testimoniis traditum et plurimis exemplis probatum est, linguae rusticae proprium fuisse, pro I vocalem E pronunciare; cfr. Cic. de orat. 3, 12, 46, quare Cotta noster, cuius tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut Jota litteram tollas et E plenissimam dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari; Quint. 1, 4, 17, quid? non E quoque I loco fuit? ut Menerva, leber, magester, Dijove et Vejove pro Dijovi et Vejovi. Quint. 1, 5, 21 et mehe pro me apud antiquos in veteribus libris invenimus (Quint. 1, 4, 18). — Erat enim in lingua Romana sonus quidam inter E et I vocales quasi fluctuans, quem Lucilius scriptione EI significari voluit (Quint. 1, 7, 15, Charis. p. 60; Vel. Long. 2220. P. Schneider, gramm. I, 63). Cuius soni, ut ita dicam, intermedii vestigia in Osca quoque lingua exstant, in qua signo ⊢ expressum eum esse Mommsenius de dial. tab. VI testatur. Hic igitur sonus, cujus origo aut ex I vocali producta aut ex diphthongis videtur esse repetenda, in Romana lingua ita sese habuit, ut scriptores et viri litterati clarum I vocalis sonum praeferrent, plebeji vero antiquiorem sonum retinerent. Ita simplicem E litteram invenimus in vella Varro de R. R. 1, 2, 14; 1, 48, 2) speca apud eundem; vendemia (J. N. 3, 571.) me pro mihi apud Enn. Ann. 2, 4, Aquill. v. 28 (cfr. Quint. 1, 5, 21) timedus Naev. 35; quase Naev. Tarent. v. 2;

---

*) Quibus addas exempla, quae Mommsenius J. L. A. (index gramm. p. 608 o pro au) congessit.

semul, Plaut. Bacch. 576, 577 et saepissime (Ritschl. prol. ad Trin. p. 97 Adn.); vegere Non. 183, 8; soledas in tit. Aletr. v. 12; filea in cista Praenestina, beto Pompon. 150; devas Corniscas sacrum (Momms. J. L. A. 814, Orell. N. 1850); dede in tit. Pisaur. (Ritschl. fict. litt. p. 27). In titulis Scipionum hae exstant formae: ploirume, fuet, dedet, tibe; in restaurata columna rostrata: exemet, cepet, ornaret; in lege Julia municipali: juset, fecet, dixet.*) Similiter in casuum quoque declinatione simplicem E litterae sonum invenimus, velut in genitivo: Salutes pòcolom (Ritschl. fict. litt. p. 18), Apolones pocolom (Orell. p. 1433); saepius in dativo exstat: veluti in titulo Pisaurensi Junóne (Ritschl fict. 27) Marte sacrom (fict. 28). Mavrte in tit. Furiorum, patre J. N. 5483; matre Or. 1500. Alia exempla, quae omitto, congessit Corssenius I, p. 216; liceat mihi exempla quaedam adjicere, quae ex inscriptionibus Pompejanis (ed. Garucci) exscripsi: pugnabet, caredum, veces, otea, Perussenos. — Multo vero saepius hic sonus, ut ita dicam incertus atque ambiguus et in titulis et in codicibus signo EI exprimitur. Atque primum quaerendum est, num re vera haec scriptio nonnisi signum orthographicum sit an forte diphthongum exprimat. Quanquam jam supra monuimus, in pluribus verbis hunc sonum ad diphthongos referendum esse, tamen eo tempore, quo monumenta, quae exstant, composita sunt, signum esse, quo sonus inter E et I fluctuans exprimatur, liquet. Enimvero cum in titulo Scipionis Barbati filii (Or. 553), qui ex sententia Ritscheli (Mus. Rhen. 9) ad annum 520 (234) referendus est, scriptiones hic et hec, cepit et cepet, in titulo Scipionis Barbati (Or. 550) formam quei (cfr. J. N. 6011, 5756), in titulo Amiterno (J. N. 5882) que inveniamus, apparet sane in hisce verbis diphthongum non pronunciatam esse, quanquam utraque forma ad diphthongos ho—i—ce et quo—i—ce referenda est. Idem valet in preimus vel preivatus (lex de Term. J. N. 3676); scilicet prioris vocabuli radix videtur prai fuisse; in veicus (J. N. 6011), quod conferendum est cum substantivo graeco οἶκος, sansc. vêças, gothic. veihs. Deivas vel devas conferendum est cum graeco θεῖος (Ritschl, fict. lat. p. 26; Or. 2135, J. N. 6011). Saepissime exstat forma leiberi (J. N. 4495, tab. Genuat. lex Thor. lex de Term.) leibertini (J. N. 4086), leibertatem (J. N. 4070), cujus vocis alteram formam „leber" ex auctoritate Quint. 1, 4, 17 (cfr. Momms. J. L. A. 174) jam supra exhibuimus; utraque forma ad loebertatem vel loebesum (Fest. p. 121) et fortasse cum Corssenio ad graecam λοιβήν referenda ést. Satis igitur probasse mihi videor, non diphthongum litteris EI conjunctis expressam esse.

Ut in vocabulorum radicibus, sic in nominum quoque declinatione ubique pro i vel is, ei vel eis et e vel es ita pronunciatum est, ut in tertia, quae vulgo fertur decli-

*) Cfr. Mommsen. J. L. A. ind. grammat. 605 e pro i.

natione ex producta littera I ortum esse appareat. Itaque legitur Junone (fict. litt. p. 27) et Junonei (J. N. 6762, 1351); Mavrte (tit. Furior.), Martei (J. N. 6766) Marti (Grut. 95, 6); Diove (Quint. 1, 4, 17) Jovei (J. N. 3566), Jovi (Grut. 52, 11) patre (J. N. 5483) patrei (Orell. 1287) cfr. Corss. I, 215. In dativis pronominum sibe (Quint. 1, 7, 24) et sibei (Sc. de Bacch. et saepe); tibe (tit. Scip., Orel. 558) tibei (t. t. Mumm.) mehe (Quint. 1, 5, 21; Pacuv. v. 143) me pro mihi Aquill. 28 Enn. Ann. II, 4 (cfr. Struve de declin. lat. p. 28). Quae quidem formae dativi vulgares ita increbruerunt, ut scriptores quoque iis uti non dubitarent; veluti Enn. Ann. v. 361 malo cruce fatur uti des Jupiter, Lucilius apud Non. p. 102 s. v. exsculpere:

„esuriente leoni ex ore exsculpere praedam".

Eodem modo Livius in antiquioribus quibusdam formulis hac forma utitur, 31, 13 solvendo aere alieno, 42, 28 jure dicendo etc. Quae cum ita sint, Reisigii quoque sententia (gramm. 87) haud probanda est, qui epitaphium Plauti (Gell. 1, 24, 3)

„Postquam morte datust Plautus comoedia luget",

sic mutare voluit:

„postquam mortem aptu'st"

(cfr. Haase ad hunc locum).

Fuerunt viri docti (Schneiderus gramm. p. 200; Reisigius gramm. p. 87) qui, his vestigiis insistentes, E litteram primitivam fuisse in dativi flexione sibi persuaderent. Attamen ex linguarum comparatione hoc quidem non liquet; ubique enim in linguis indogermanicis î litteram productam in dativo invenimus, quanquam jam in lingua sanscritica et zentica (Bopp gramm. comp. I, p. 272) a—i ad ei et ê suppressum esse negari non potest. Ritschelium, qui, quo suam sententiam probaret, nullum exemplum dativi primae declinationis in a—i exeuntis exstare contendit; videtur fugisse forma, quae Enn. Ann. v. 479 usu venit: terrai frugi ferai, ubi Charisius I, p. 7 adnotat, adhuc morem esse poetis in dativo casu, ut aulai in medio Vergilius, terrai frugiferai Ennius in Annalibus. Denique secundae declinationis dativi formas in o—i exeuntes Marius Victorinus p. 2463 et 2469 exhibet.

Reliquum est, ut uno verbo de ceteris declinationum casibus disputemus, in quibus eandem fluctuationem exstare videmus. Imprimis haec scriptionis discrepantia in ablativo valet, ut ex exemplis, quae Corssenius I, 217 attulit, apparet, in nominativo casu pluralis (Corss. I, 220), denique in dativo et ablativo casu pluralis (Corssenius I, p. 223).

Jam ut breviter ea complectamur, quae supra exposuimus, in lingua romana rustica et in radicibus et in verborum nominumque flexionibus subobscurum litterae E sonum usu venire videmus, qui ex incerto quodam sono profectus in politiore lingua ad clarum et distinctum I vocalis sonum transiit. Neque plebem ab hoc sono se alienasse, immo

qua solet esse tenacitate antiquitatisque traditae amore eum per totum tempus florentium litterarum retinuisse, apparet ex posteriorum temporum inscriptionibus, in quibus formae: vixet, viset, quiescet, obiet, fecet, fece, curavet, requiescet, usitatissimae sunt. — Non mirum igitur, quod hasce formas in linguis romanensibus invenimus, veluti in lingua italiana: visse, fece, meno, degno, selva, selvaggio, selvoso, segnare, se, secco, mettere, menare, mescere, messo, mestiere; in lingua hispanica: letra, lengua, seco, espeso, verga, cepo etc., in lingua provinciali: lengua, cep, denh, ferm, selva etc., in lingua francogallica: cep, sec, ferme, mettre, en, souvent, fendre, crête etc. (cfr. Diez gramm. rom. I, p. 134; Maetzner gramm. fr.-gall. p. 67). —

Priusquam hanc disputationis partem omittimus, liceat paucis verbis de simili fluctuatione vocalium, quae in dialectis Graecis usu venit, disputare. In Ann. Oxon. I, 436, 25 traditum est: *τὰ διὰ τοῦ ιος κτητικὰ ὑπὲρ δύο συλλαβὰς οἱ Αἰολεῖς διὰ τοῦ εος προφέρουσι· οἷον Φλόγειος Φλόγεος, σιδήρειος σιδήρεος* etc. Apparet corruptelam in verbis inesse, cum terminatio *εος* sit Jonum, et ni fallor, sic legendum est, *τὰ διὰ τοῦ εος κτητικὰ ὑπὲρ δύο συλλαβὰς οἱ Αἰολεῖς διὰ τοῦ ειος προφέρουσι,* (scilicet ut *ει* significet sonum inter *ε* et *ι* fluctuantem) aut cum Ahrensio (de dial. Aeol. p. 79) legendum est: *οἱ Αἰολεῖς διὰ τοῦ ιος προφέρουσι.* Sed, utut est, Aeoles Asianos in nominibus derivatis, quae in *εος, εον* vulgo exeunt, *ι* pronunciasse ex inscriptionibus et libris poetarum apparet, veluti in titulo Cumaeo I, 8, 33, 35, 36, 76 formae exstant *χρύσιος, χάλκιος, μαρμάριος,* in Alcaeo v. 31 *Φλύγιον,* v. 7 *χάλκιαι* et *κυνίαισι* in Sapph. v. 13 *πορφύριαν* in Theocrit. 29, 24 *σιδάριος,* 29, 12 *δενδρίῳ.* Idem in dialecto Boiotica usu venit, teste Apollonio de pron. p. 64 et 95; veluti *θιός* C. J. n. 1564, *Θιόδωρος, Τιμάσθιος,* n. 1575 (Ahrensius p. 179); quanquam haec quoque dialectus non sibi constat; legitur enim in titulo Thebano 1576 *Θεογίτων, εἰλαρχέοντος, Καλλικράτεος.* Similiter Boeoti *ει* habent, ubi aliae dialecti *η* exhibent, ut *λέβεις, πένεις, Λάχεις, εὐσεβείς* etc. (cfr. Ahrens. p. 183. Giese aecl. dial. p. 292). De dialecto Dorica, ubi similia animadvertere licet, conferendus est Ahrensius de dial. Dor. p. 120. —

Transeamus jam ad alterum sonum, ut ita dicam, intermedium. Traditum est a plurimis grammaticis sonum quendam in lingua fuisse inter U et I ita fluctuantem, ut prope accederet ad graecam *υ* litteram (cfr. Quint. 1, 4, 7 medius est quidam sonus inter i et u sonus; Mar. Victor. p. 2465; Vel. Long. p. 2235; Prisc. 1, 6). — Antiquiore tempore in ejusmodi formis litterae u sonus aut plane aut maxima ex parte praeponderasse videtur, ut apparet cum ex titulis antiquioribus Plautique libris manuscriptis, qui ubique antiquiorem sonum tuentur (cfr. Ritschl prol. ad Trin. XCV, porro u pro i tuitus sum ut antiquius non in superlativis tantum et similibus, ut legitumus, sed etiam in lubet, clupeis) tum ex ipsis linguarum legibus, cum nunquam clarior I litterae sonus ad pinguiorem u sonum transeat (Ritschl. Mus. 14, p. 406). Hic sonus obscurior, qui in cor-

reptis tantum syllabis videtur exstitisse, Caesaris tempore in I vocalis sonum transiit, ut docet Cassiodorus p. 2284. Terentius Varro tradidit, Caesarem per i ejusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere. Attamen in plebis ore antiquior sonus remansit, teste Velio Longo p. 2216 „optumus, maxumus, in quibus adnotandum antiquum sermonem plenioris soni fuisse, et ut ait Cicero, rusticanum." Jam vero cum de Augusto auctores ita discrepent, ut Suetonius tradat „item simus pro sumus ponit, Velius Longus vero p. 2228 antiquis varie scriptitatum est mancupium, aucupium, manubiae, siquidem C. Caesar per i scripsit, ut apparet ex titulis ipsius, at Augustus per u, conjicere nobis licet, Augustum neque u neque i litteram pronunciasse, sed ipsum hunc sonum intermedium. —

Quod Corssenius inde ab p. 1, 286 de affinitate, quae vocali I cum sibilantibus intercedit, disputat, extra fines nostrae disputationis positum est. Hoc tantum moneo, audacius mihi videri, ex illis exemplis, quae congessit, concludere, in finali littera S vim fuisse vocales E, O, U in I transmutandi, quin etiam vocales E, O, I, U eodem fere sono pronunciatas esse. Aliter sane res se habet in S incipiente, ubi dure pronunciatum est; itaque cum invenimus inde ab quarto seculo post Christ. formas, quales sunt „istatua (Or. 1120) ispirito (J. N. 1851) Ispartacus (J. N. 6532) et in libris manuscriptis cum exstant formae: isto (Plaut. Amph. I, 1, 249), istares (Non. p. 137, 33); Isticho (Non. 486, 23) insta (Char. p. 181) insturio (Cic. Tusc. II, 36, Cic. de fin. 3, 36) et alia (de quibus inspicias Lachmannum ad Lucr. p. 231, Mone, Plin. 6, p. 30; Jahn, Soc. Saxon. 1862, p. 340) negari nequit, litteram S eodem sono pronunciatam jam esse, quo in linguis romanensibus, veluti in formis franco-gallicis: espèce, esprit, estomac, école et in italianis: i—spirito, i—sta, i—strignere, alia.

Restat, ut pauca addamus de vocalis O in lingua rustica usu, quae et in radicibus et in flexionibus a primis temporibus summa tenacitate servata est. Disquisitionibus Ritscheli (de tit. Mumm. p. 5 Mus. rhen. 9, 10—12) et Mommseni (Mus. rhen. 9, 464—467) quanquam in singulis inter se discrepant, cum probatum sit, scriptionem O pro U, si ea verba excipimus, in quibus V vel U antecessit, non ultra medium seculum sextum in usu fuisse, Sc. de Bacchanalibus (568. a. u. c., 186) quasi terminus huius scriptionis est. Quatenus vero sonus vocalis O, litteris u vel v antecedentibus, viguerit, ex Quint. 1, 7, 26 apparet: nostri, inquit, praeceptores cervomque („v" et „o") scripserunt. — Jam vero plebem hunc sonum antiquiorem servasse nobis persuadebimus, cum recentiores titulos inspexerimus, in quibus eaedem formae revertuntur, quas in antiquissimis invenimus; velut popolus (Orel. 5791) bonom (Boiss. J. Lyon. 17, 58); vivos (Grut. 1056) annoro (Grut. 1061, 3) facoletatem, tomolo, vocabolum, famolus (Corss. I, 257), quae plane respondent ad antiquissimas: pocolom, cosol, consol, tabola, consoluerunt, semol, popolom etc. Non

mirum igitur est, quod hasce formas in linguis romanensibus exstare videmus, veluti in sepolcre, dolce, folgore, molto, costoro, loro, oncle, monde, fondament etc. —

Sed de diphthongis et vocalibus hactenus. Breviter igitur jam ut complectamur, quae in antecedentibus exposuimus, in lingua vulgari diphthongos non exstare vidimus, diphthongis *ai*, et *ae*, ad ê, *au* ad *ô* suppressis, in vocalibus vero plebem antiquiores formas ita servasse, ut *e* tenuerit, ubi lingua politior per obscuriorem *ei* sonum ad *i* paullatim transiit, *u* vel potius sonum graecum litterae *υ*, ubi illa *i* praeferebat, denique *o* vocalem pro recentiore *u* littera. —

Priusquam ab his quaestionibus ad vocalium congressionem transimus, paucis verbis in quantitatis rationes inquirendum erit, in quibus lingua vulgaris ab politiore dictione admodum videtur discessisse. Qua in quaestione sententiam illius viri doctissimi praemonebo, qui in hisce quaestionibus summae auctoritatis nobis esse debet; docet enim Ritschelius Mus. rhen. 14, 395: Vornehmlich in zwei Stücken liegt bei den Dramatikern die Incorrectheit der gemeinen Aussprache zu Tage, von denen das eine in das vocalische, das andere in das consonantische Gebiet fällt. In jenem ist es die von Alters her stammende Neigung der Sprache, die Vocallängen wie überhaupt so namentlich im Auslaut der Wörter zu Kürzen abzuschwächen. Dieser dem Latein eingeborne Trieb, dessen aufmerksame Beobachtung uns den Schlüssel für unzählige Erscheinungen der Sprachbildung in die Hand giebt, ist zwar an und für sich weit entfernt eine Uncorrectheit heissen zu dürfen, im Gegentheil er ist es vorzugsweise, der einen ursprünglich sehr spröden, starren, schwerwuchtigen Sprachkörper allmählich zu einem biegsamen, beweglichen, geschmeidigen umgeschaffen hat. Aber wie jede natürliche Neigung, der nicht ein rationelles oder aesthetisches Princip das Gegengewicht hält, instinctiv zu einem Uebermaass führt, so ging auch das Latein in dieser Beziehung auf einer abschüssigen Bahn vorwärts und war in Gefahr der Zügellosigkeit zu verfallen, als Ennius aufstand und zu rechter Zeit Einhalt that. — In sequentibus exponit vir doctissimus, Ennium ea quidem non in antiquum quantitatis statum restituere nec potuisse nec voluisse, quae usu jam stabilita fuerint, sed in eo acquievisse, ut praecipiti linguae vulgaris cursui firmam hexametri structuram opponeret. Cum enim in antiquorum poetarum scenicorum metris in exeuntibus syllabis flexionum vocales et productae et correptae exstent, apparet linguam vulgarem in hanc correptionem inclinasse; itaque poetis aureae quoque, quae vulgo fertur, litterarum aetatis licuit iis vel pro correptis vel pro longis uti, quanquam haud dubie eo tempore in plebis ore omnino jam erant correptae. Cum Ritschelio consentit Corssenius I, 370: die Volkssprache war unbekümmert um den metrischen Canon einer gelehrten Dichtung, die dem Volksleben völlig fremd geworden war. ihrem Hange

zur Kürzung der Endsilben unvermerkt weiter gefolgt, und die Dichter konnten sich dem Einflusse der Volkssprache, so gern sie auch wollten, nicht entziehen. —

---

Quod ad vocalium inter se congressionem attinet, de contractione vel synaeresi vocalium hoc capite pauca monenda sunt.

Primum igitur duplex vocalis I neque in lingua vulgari neque in lingua elegantiore scilicet florentium litterarum exstitit (Ritschl. prol. ad Trin. p. 89); nec nisi eo tempore usu venisse videtur, quo ex etymologiae studio doctis poetis duplex vocalis rectior esse visa est (cfr. Lachm. ad Lucr. p. 326 e. q. s., Corss. I, 312). Itaque in lapidibus antiquioribus in secundae declinationis casu genitivo singularis numeri, et in nominativo, dativo, ablativo pluralis ubique, ut videtur, contractam vocalem î vel ei invenimus. Pauca exempla ex permagna copia liceat enumerare; fili (Orell. 642. J. N. 5560) municipi (leg. Rubr.) judici (in leg. agrar.) dis (Orel. 679, 680); filis (J. N. 1680, 3546) et multa alia. Idem valet de libris manuscriptis poetarum scenicorum, qui ubique contractas formas exhibent (Ritschl. prol. 89; Brandt, quaest. Hor. p. 113). Itaque, ut in paucis acquiescam, forma monosyllaba nominativi pluralis „di" exstat, Naev. Appell. v. 19, Aquill. Boeot. v. 1, Caecil. Naucl. v. 114; Turpil. Leuc. 102, Lindia v. 139, ex inc. inc. v. 60, Afran. v. 45, 264, 355, 359; Pomp. praec. post. v. 137, Laber. v. 107. Conferendus est deinde Pomp. v. 115, neque enim ego sum Memmi neque Cassi neque Munati Elriae; Enn. Ann. 167 Junîs; Turp. v. 162 flagitis, al. Quo ex taedio geminatae vocalis videntur mihi formae profectae esse, quales exstant in Sco. de Bacch. adiese, adiesent, in lege Thor. agraria veniet et aliae. —

Porro ad eandem causam videtur referendum esse, quod in vulgari lingua vocales i—u et u—i saepissime contrahebantur; nempe si nobis informamus, de qua re supra disputavimus, sonum vocalis u in ore plebis prope ad graecae υ litterae sonum accessisse, mirum hoc esse nequit.

Ad hanc vero vocalium contractionem via quasi praemunitur earum synizesi, qualis est in poetis scenicis, veluti in versu anapaestico: Plaut. Trin. 1115,

hic homóst omnium hominum praécipuos;

in tetrameto catalectico Trin. 933:

omnium primum in Póntum advecti ad Arabiam terrám sumus

Plaut. Stich. v. 526

omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinem.

Similia in multis aliis vocabulis observare licet, velut filium, gaudium, otium, praemium etc., quae hic quidem omitto (de quibus Ritschelius prol. p. 133, 161, 164, 167). —

Dicturus enim eram de iis vocabulis, in quibus vocales i—u ad unam vocalem i contractae esse videntur. Monumenta enim epigraphica cum inspexerimus, haud raro nomina gentilicia inveniemus in —i exeuntia, quae vulgo in —ius exeunt; quorum ex numero sunt in Scipionum titulis L. Corneli L. F. Scipio; in epitaphiis Praenestinis 44, 45, L. Oppi L. F. Flacus; in Sc. de Bacch. scribundo arfuerunt M. Claudi M. F. L. Valeri, P. F. Q. Minuci, in titulo Mummiano: L. Mummi. Praeterea magnam similium formarum copiam in promptu habeo, quam enumerare taedet. Quae formae plerumque scripturae compendio designatae habebantur nec cogitabant viri docti, breviandi ratio si habita esset, Cornel. vel Mumm. scribendum fuisse, neque ullum exemplum hujus scripturae compendiariae exstare, si unum excipias Curtia Rosci (Praen. epitaph. 21) quod ex Ritschelii conjectura Rosci uxor intelligendum est. Atque primum Mommsenius (hist. rei Rom. numm. p. 471), quem Ritschelius (de decl. lat. quaest. epigr. p. 15) secutus est, conjecit, has formas non explenis nominibus explicandas esse, sed ex debilitatis, Mummi non idem ac Mummius esse sed ad formam „Mummis“ referendum, et in hac quidem argumentatione haud dubie rectam viam ingressus est. Haud pauca enim exempla hujus formae debilitatae exstant, praesertim in ollis cinerariis, quae Ritschelius inde a p. 6 collegit: veluti Sallustis (J. N. 6) Lucilis (J. N. 287) Samilaris (J. N. 2259 v. 38) Nassis (Grut. 813, 5) Helis (Grut. 486, 4) Sevis (Grut. 970, 7) praeterea Brutis Eugenis, Lucilles (Boiss. incr. Lugd. p. 443 n. 16) („quando *es* ab *is* terminatione unius et rusticitatis et antiquitatis ratione differt“) Accis, Januaris, Scottis. Ex muris Pompejanis has formas desumpsit: Ampelis (Garucc. p. 89), Gallvis, Arruntis, Apeleis, Ctilis, Tusanis, Caecilis, Valeri, Ragonis, Clodis, Remis, Anavis. — Praeterea formae plane gemellae non solum in dialectis Italicis, sed etiam in lingua Graeca exstant; veluti Oscae formae Niumeris, Pâpîs, Metîs, Niumsis, Heirenis, Pakîs etc. (Momms. dial. Ital. p. 229; Corss. II, 147) et Umbricae Trutitis, Kaisis (Aufr. Kirch. Monum. Umbr. p. 392 sq.); denique magna exemplorum moles ex Graecis monumentis eruta: *Αμμωνις, Αμπελις, Ανατολις, Απωνις, Αυρηλις, Αφροδιταρις, Δομιτις, Ιανουαρις, Ιγνατις, Ιουλις, Καλλιτυρνις, Καρουεντις, Κλαυδις, Κλωδις, Κοσσαυρις* e. s. (cfr. Mullach, gramm. ling. graec. vulg. p. 25, et Ritschl. de declin. p. 6). Summo igitur jure Mommsenius et Ritschelius ex his aliisque exemplis conclusuerunt, in antiqua lingua Romana nomina in —ius vel —ios exeuntia contracta declinata esse. Cujus declinationis usus in sermone vulgari, certissimo vetustatis custode, servatus ad Graecos quoque pervenit ibique latissime patuit. Jam vero in politiore sermone Romanorum nulla huius pristinae declinationis vestigia relicta esse videntur, si declinationem vocabuli „alius“ „aliud“ excipis. Tradunt enim veteres grammatici contractas quoque huius vocabuli formas exstare; cfr. Prisc. 13, p. 959 „alis quoque antiquissimi pro alius protulerunt,“ et 15 p. 1014, „aliter quoque ab eo, quod est hic alis, hujus alis, huic ali

secundum supra dictam analogiam profertur" (cfr. Charis. 159, 30; Diom. 333, 30). Attamen in antiquis scriptoribus rarissime exstat, in Sallust. Cat. 61 auctoritate excerpt. Vindob. Dietschius recepit „alis alibi stantes; Lucilius, teste Charisio 111, 18 scripsit: „sic et apud se longe alid est neque idem valet ad se; denique Catullus 29, 15 alid et 66, 28 alis habet. Praeterea in quibusdam locis Lucretianis formae contractae exstant: quando alid ex alio 1, 263; namque alid ex alio 4, 1115; 1456; sic alid ex alio 3, 970; 5, 1305; quodcumque alid auget 5, 257, quibus in locis hae formae jam metro probantur. Dativi casus formam Lachmannus admisit 4, 637 et 6, 1127:

ut quod ali cibus et aliis fuat acre venenum
nam quod ali dederat vitalis aëris auras.

cfr. Lachm. p. 249 ad 4, 637.

Genitivi formas tres tantum ex lapidibus congerere licet; in Baldini dissert. 55 exstat: P. Clodis, C. L. Pampini, Baldini 10 Novi Graeci, Grut. p. 486, 4 Vette (VETTII) Helis. Ac genitivum pluralis, de quo Ritschelius nihil affert, similiter contractum esse ex nummorum inscriptionibus apparet; nempe formas Aisernim,*) Tiati, Tiani, quales exstant in numeris, nihil aliud esse, nisi genitivi formas, cum ad consimilia animum adverterit, qualia sunt Romano et Romanom, Caleno, Corano, Νεοπολιτῶν e. r. (Momms. J. L. A. Nr. 12—22) neminem puto negaturum esse. Itaque cum ex tota hac ratiocinatione constare videatur, hanc declinationem in antiqua lingua Romana omnique tempore in lingua vulgari, unde ad Graecos quoque pervenerit, viguisse, de formarum origine paucis disputare liceat. Atque hac in quaestione Ritscheli sententia refutanda est, qui contractas formas antiquiores fuisse sibi persuasit; nam haec sententia in ejus verbis (p. 15) latere videtur „mansit autem ea, qua adsueverant, scriptura, postquam —ios vel —ius substitutum est." Etiamsi negari nequit formas contractas vulgares fuisse plebemque antiquissima quaeque servare solere, tamen pleniores formas recentiores esse brevioribus illis nusquam linguarum legibus probatur. Unde tandem vocalis u in vocabula immissa est? Immo cum graecae linguae analogiam respicimus forma graeco-italica, ut ita dicam erat al—j—os, ex qua ejecta j littera ἄλλος, latine, littera j in vocalem transmutata, alius factum est; posteriore vero tempore propter sonorum vocalis I atque U similitudinem vocales quasi contractae sunt. Unum habeo, quod ad hanc vocalium contractionem probandam addam, usum pronominum formarum cuius, eius, huius, quoius monosyllabum, de quo conferas Lachm. ad Lucret. I, 149. — Exempla, quae in promptu habeo, haec sunt: Pacuv. Herm. v. 169 cuius, v. 183 cuius veretur máxume. Acc. Atham. v. 193 cuius sit vita indécoris, v. 445 cuius exuvias et coronam huic mu-

*) Cfr. Momms. J. L. A. p. 9 et p. 141 ad Nr. 505.

neravit virgini, v. 621 huius et cuius in eodem versu insunt. — Quae formae cum monosyllabae sint aut ejecta littera I pronuntiari potuerunt, cuus, quous, huus, eus, aut contractis litteris cuis, quois, huis, eis, id quod forma cui' cui' modi (Gell. 9, 2, 6) pro cuiu' cuiu' modi suadet. Eandem igitur, quam supra vidimus, vocalium synaeresin hisce in exemplis habemus. — Nescio, annon eadem hac explicandi ratione uti nobis liceat in quibusdam anomaliis linguae vulgaris expediendis. Saepius enim in scriptoribus comicis adjectiva in —us exeuntia invenimus, ubi lingua politior —is praebet, veluti hilarus pro hilaris:

Stat. v. 108 Filius in med incedit sat hilara schema.

Stat. v. 76 nam hi sunt inimici pessumi fronte hilaro.

Stat. 79 modo fit obsequens, hilarus, comis.

Pomp. v. 124 fit desubito hilarus, tristis.

Quin etiam in epistulis Ciceronis, quae ad usualem dictionem prope accedunt, ejusmodi formae passim exstant; veluti ad Att. 5, 20, 5 hilara sane Saturnalia; ad Att. 16, 3, 1 hilaris convivis et bene acceptis.*) — Inermus pro inermis, Stat. v. 67 nil agit in amore inermus. Cic. ad fam. 11, 12 cum paucis inermis; 10, 34 multitudo inermorum. Sall. Jug. 115 ab inermis pedibus; Sisenna ap. Non. 8, 75 plerique inermi. Similiter vernulus pro vernilis in Petronio c. 24**) inest (cfr. Voss. de anal. I, 36, p. 553; Jordanus ad Cic. Caecin. 21, 60). Duae explicationis rationes admitti possunt; aut contractas formas esse dicemus, id quod suadent voces singularius (Turp. 28), vulgarius (Turp. 205) jocularius (Terent. Andr. 4, 4, 43) auxiliarius (Plaut. Truc. 2, 1, 6); aut sonum inter i et u fluctuasse, sermonemque plebejum antiquiorem sonum retinuisse. Attamen in tanta argumentorum penuria ego quidem neutrum pro certo statuere velim!

Transimus jam ad alteram hujus quaestionis partem, ad vocalium u — i congressionem.

Notum est in omnibus linguis u et v, i et j litteras intima quadam affinitate inter se conjunctas esse. Jam vero cum u et i vocales facillime in consonantes v et j transire possint, hae vero consonantes propter soni debilitatem saepissime delitescant, primitivas formas, in quibus vel u vel i inerat, saepius hoc modo debilitatas et deformatas esse apparet. Quo factum est, ut lingua Graeca consonantes f et j omnino amiserit, quanquam plerumque in consonantium reduplicatione aut in vocalium vel productione vel cumulatione harum deperditarum vocalium vestigia latent; ut exemplo probem, quae

*) Praeterea Cic. de fin. 5, 30 hilara vita, Terent. Ad. 4, 7. te hilarum. Plaut. Stich. 5, 4, 56 hilaros nos.

**) Conjecturam Scioppi „vernaculae", ubi libri „vernulae" exhibent, Büchlerus recepit.

dixi, primitiva forma *ξέν—j—ος*, ejecta littera j, dorice *ξῆνος* facta est, aeolice *ξέννος*, ionice *ξεῖνος*, attice *ξένος*, similiter *κέν—j—ός* dorice est *κῆνος*, aeolice *κέννος*, ionice *κεῖνος*, attice *κένός*. In latina vero lingua litterae u et i, in consonantes duratae, hanc augendi vel reduplicandi vim, nisi apud elegantiores scriptores non habent, nec ulla vestigia, si quando ejiciuntur, reliquunt. Itaque non quattu—or pronunciatum est, sed potius quatt—v—or (Ritschl. prol. in Tr. 154), quin etiam quattor pronunciabant, id quod recepit, Ritschelio suasore (Mus. rhen. 8, 309 adn.) Vahlenius in Enni Annalibus v. 96 et 580, ubi libri quatuor habent; cfr. Plaut. Most. quattor quadraginta. Quam debilis sonus huius U fuerit, ex linguarum comparatione apparet; nam quanquam respondet ad sansc. çatvar, gothic. fidvor, tamen jam in lingua sanscritica forma çatur, ejecta u littera, exstat. Similiter in formis Lucretianis tenuis (1, 875; 2, 232; 3, 232) extenuantur (Lucr. 4, 1254) tenuia (Lucr. 5, 1262; 4, 726; 6, 1186) vocalis u consonantis potestatem adepta est (Lachm. p. 192; Corss. II, 167).

Quam ad rationem ea quoque vocabula quartae, quae vulgo fertur, declinationis referenda sunt, quae, cum in genitivo casu in —i exeant, ab antiquis recentioribusque grammaticis pro heteroclitis venditantur. De quibus cum in universum parum constet, paullo fusius disputandum erit. Primum igitur exempla, quae ex antiquis scriptoribus atque imprimis ex poetis comicis eruere potui, proponam, tum de origine harum formarum sententiam proferam. Sunt igitur haec: ***tumulti*** Turp. 154 Afran. 394, Pomp. 121, Enn. 143 Attius, 485, Plaut. Bacch. 1120; Sall. Cat. 59, 5. — ***Quaesti*** Caec. 130 (bis); Titin. 26; Pomp. 123; Turp. 42, et 84, quanquam Ennius 364 quaestus exhibet. ***Sumpti*** Caecilius 180, Turp. 172 et 184 Plaut. Trin. 250, Cato de re rust. 21, 5; 22, 3; ***Piscati*** Turp. 22, Pomp. 119; ***flucti*** Pacuv. 77; ***Soniti*** Pacuv. 133; ***Exerciti*** Att. 150 et 311, Nel. carm. 4; ***Fructi*** Turp. 12 et 87 Cat. de r. r. 4, ***Aspecti*** Att. 80 et 188; ***Lucti*** Att. 491 et 519; ***Salti*** Att. 435; ***Peni*** Plaut. Trin. 254. — Ceterum de omnibus conferendus est Nonius p. 483, 3. Quomodo igitur hae formae explicandae sunt? Num revera putemus cum Nonio atque aliis, heteroclita esse vocabula, qualia multa exstant in iis scriptoribus, qui ad vulgarem dictionem propius accedunt, ubi genera, modi, casus passim permutantur? Minime id quidem; omnia enim bene procedere videntur, ubi ad genitivi originem respexeris. Antiquissima, quae aetatem tulit, genitivi forma est in Scs. de Bacch. de senatuos sententiad; quacum consentit magistratuos (J. N. 3901) et domuos (Suet. Aug. c. 87); Flexio—*us*, quanquam in quarta declinatione propter causas, quas supra exposui, locum habere non potuit, tamen exstat in aliis declinationibus, veluti nominus in Sc. de Bacch. kastorus in Sc. de Tiburt. (J. L. A. 195, 17 et 201, 1), Venerus in tegula Neapolitana (J. N. 6306, 1; et 4227 Ritschl. mon. epigr. tr. p. 26); partus in tab. Bant. et in leg. repetund., Cererus in Insc. N. 3564 (J. L. A. 566 et 568), honorus (in leg. Pu-

teol.)*). Fortasse recte Bergkius conjecit (Philol. 14, 70) „opus“ ejusmodi genitivum esse. Deinde *u* vocalis ad i transiit, quo in quarta declinatione —uis effectum est (de hac forma conferendus Gell. 4, 16, 1 M. Varronem et P. Nigidium, viros Romani generis doctissimos, comperimus non aliter elocutos esse et scripsisse, quam senatuis et domuis et fluctuis). Nonius 483, 484, 492 magnam harum formarum copiam plerumque ex Varrone atque comicis desumptam exhibet, veluti quaestuis, fructuis, victuis, graduis, anuis, rituis. Hac igitur ex forma quam facile vel contractione —us et u vel ejectione u litterae is et i fieri potuerit, non est, quod moneam. Utriusque formationis exempla in monumentis in promptu sunt, veluti in tit. Aletr. de senatu sententiad, Orell. 2135 de senati**) sententia; Orell. 3808 de senatus sententia. Neque alienum est, quod Titinius v. 6 uni pro unius et Gell. 9, 2, 6 nulli pro nullius scripsit.

Praeterea ad hanc normam revocandae sunt formae sos, sas, tis; quae in antiquis scriptoribus exstant; cfr. Fest. p. 301, interdum pro „suos“ ponebant (sc. sos), ut cum per dativum Ennius affert (Ann. 3, 150):

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit

(cfr. Paul. 300; Lucr. 3, 1023). Enn. Ann. 3, 152

circum sos, quae sunt magnae gentes opulentae.

Enn. Ann. 1, 103

virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.

Hunc consonantis sonum jam invenimus in pron. sansc. swâs, swâ et in graeco *σφέ, σφόν, σφέν, σφᾶς* etc. (cfr. Schmidt de pron. Graec. p. 17 § 6, 1).

Pronomen tis genetivi casus vice ita fungi ut ex tu—i—s sit contractum, exemplis probatur. — Plaut. Bacch. 1200

ne tis quam mea mavellem.

Plaut. Pseud. v. 6 tis est respondendi.

Contra dativi pluralis vice fuugitur,

Orell. 4847. cum vita functus jungar tis umbra figuris.

Praeterea loci, in quibus formae bisyllabae, velut duo, duos, duas monosyllabae pronunciabantur, plurimi exstant, quos Corssen. II, 177 collegit.

Paucis liceat in aliarum quoque vocalium contractione morari. Praeter U vocalem I quoque in consonantem litteram inclinare, jam supra monui. Primum igitur I omnino

---

*) Praeterea: Caesarus (J. L. A. 685 et 696), homiaus (J. L. A. 200 bis), patrus (J. L. A. 1469), praevaricationus (J. L. A. 200, 38). Ad tit. 685 (pag. 192) Mommsenius adnotat: genitivum antiquum tertiae in us in rustica lingua vel Caesarina aetate retentum esse apparet.

**) Genitivi forma „senati“ est in J. L. A. tit. 199, 4; 200, 31, 547 a b, 548 a b, 549, 632; laci J. L. A. 584 (cfr. Momms. adnot.).

deletum est in formis Plautinis advenat (Plaut. Pseud. 1030); evenat (Plaut. Curc. 1, 1, 39; Pompon. 35, Enn. trag. 235); convenat; cfr. augura pro auguria apud Attium (Non. p. 322). Attamen in eo praeceptori maxime reverendo G. Curtio (de aoristi latini reliquiis) adstipulari non possum, quod significationis discrimen idem esse statuit inter eveniat et evenat atque inter pariens (ἡ τίκτουσα) et parens (ἡ τεκοῦσα) inter βάλλων et βαλών. Quod vereor ne ingeniosius quam verius disputatum sit; nam in illis exemplis, quae vir doctissimus attulit, aoristi vim et naturam invenire non potui.

Ubi vocalis I non ejecta est, ex versuum mensura eam consonantis vim accepisse apparet; itaque Enn. Ann. 414

hic insidiantes vigilant partim requiescunt

non nisi: hic in sīdjantes, syllaba praecedente producta, legi potest. Conferendus est Enn. trag. v. 116 et 117, troch. tetr. catal.

Fana flamma deflagrata tosti alti stant parietes
deformati atque abiete crispa.

Apud poetas elegantiores semper duratam I litteram vocalem antecedentem produxisse Lachmannus ad Lucr. p. 130 probavit;

Virg. Aen. 2, 16 intexunt abiete costas
Virg. Aen. 2, 492 labat ariete crebro
Virg. Aen. 9, 671 abietibus juvenes
Prop. 5, 1, 42 laeserat abiegni venter apertus equi.

cfr. Plaut. Stich. 355 ego illim araneas de foribus deiciam et de pariete. —

Non mirum igitur est, quod saepius in linguis romanensibus hunc sonum debilem deletum esse invenimus; cfr. ital. abete (abietem), parete (parietem), hisp. pared; nec ab hac re videtur alienum, quod, ubi vocalis in consonantem durata est, accentus in alteram vocalem translatus est, sicuti latina vox filíolus in lingua italiana figliólo, in lingua hispanica hijuélo, in lingua franco-gallica filleúl pronuniata est. — Sed ne nimis exspatiari videamur, conferas de hoc vocalium transitu qualis est in linguis romanensibus Diezi gramm. I, 156 et Corss. II, 172. —

Ut in genitivo casu quartae, quae fertur, declinationis contractionem flexionis u—i—s in is (i) et u in lingua vulgari latius viguisse supra demonstravimus, ita in dativo quoque casu similia observare licet. Hac quoque in re auctor satis locuples nobis Gellius Noct. Att. 4, 16, 5 est, qui de quartae declinationis casu dativo haec tradit: sed non omnes, inquit, concedunt in dativo senatui magis dicendum quam senatu. Sicut Lucilius in eodem casu victu et anu dicit, non victui et anui in hisce versibus:

quod sumptum atque epulas victu proponis honesto.

Virgilius quoque in casu dandi aspectu dicit, non aspectui:

— teque aspectu ne subtrahe nostro

et in Georgicis:

quod nec concubitu indulgent.

Caius etiam Caesar, gravis auctor linguae latinae in anticatone: unius, inquit, arrogantiae superbiaeque dominatuque; item in Dolabellam actionis III: ibi isti, quorum in aedibus fanisque posita et honori erant et ornatu. Cfr. exempla Plaut. Capt. 4, 3, 6, Asin. 2, 2, 50 tactu; Lucil. frag. 135 ann. Lucr. 3, 984 usu; 5, 102 visu; Sall. Jug. 6, 1 luxu; Jug. 32, 2 et 39, 2 exercitu, hist. fragm. 1, 57 usu; Cic. ad fam. 13, 71 usu.

Plura exempla quintae declinationis exstant, in quibus i littera in dativo vel abjecta vel cum antecedente contracta est; qua de re inspiciendus est Gell. 9, 14, 21 et 10, 24. Ita Lucilius frag. 137 facie scripsit; Plaut. Trin. 142 fide; Trin. 634 re Trin. 142, 634, 843 die; Sall. Jug. 21, 2 et 52, 3 die, hist. fragm. 1, 107 acie; 1, 99 requie; Cic. ad fam. 10, 13, 3 fide, Hor. sat. 1, 3, 95 fide. Ac primae declinationis, ut hoc addam, pauca tantum exempla abjectae I in dativo litterae afferre possum; ex titulis Pisaurensibus: matre Matuta dono dedro matrona. Conferenda sunt Minerva (Momms. U. D. p. 364) Mututa (Orell. 1500) Marica (Momms. U. D. p. 365) Feronia (Ristchl. fict. lat. p. 27) Fortuna (Ritschl. Mus. rhen. XVI. p. 603)*).

Restat ut de vocalium inter consonantes ejectione disputemus, quae in lingua vulgari accentus potissimum vi perfecta esse videtur. Imprimis u vocalis sonum incertum atque irrationalem, qui dicitur, accepit vel omnino ejecta est, antecedente littera tenui vel media, sequente liquida l littera. Exempla sunt: periclum Plaut. Trin. 1087 Bach. 64 et 962; Att. Aen. 1 Att. v. 207; inc. incert. 188; vinclum Plaut. Trin. 1087; poclum Plaut. Pers. 775 Curc. 359; oraclum Att. 624; inc. inc. 13 Plaut. Men. 841; saeclum Caec. 210; gubernaclum Lucr. 4, 901; miraclum Plaut. Cas. 3, 5, 15 Lucr. 4, 417; poplus (Orell. 3674). Quas formas, quae in titulis posterioris temporis redeunt, vulgares fuisse, ex auctoribus, quos citavi, apparet; tum a grammatico Probo (Append. ad Probi artem min. p. 443) hae formae (articlus, baclus, oricla, onicla) quippe cum ex dictione vulgari profectae sint, improbantur; denique in quibusdam linguis romanensibus revertuntur, quanquam lingua italiana pleniores formas servavit (peuple, popolo, table, tavola, siècle, secolo, miracle, miracolo etc., cfr. Ritschl. mon. epigr. tr. p. 10; Corss. II, 6 et 72). Mira est Ritscheli sententia, qui (de tit. Aletr. 10) breviores formas antiquiores fuisse eosque aliquanto post demum ascita copula vocali emollitas esse contendit. Quanquam de hac quaestione hic disputare non licet, tamen antiquissimae formae: Alcumena, drachuma, Tecumessa, Alcumaeus, Procina, gyminasium, Daphine, quas ipse Ritschelius (Mus. rhen.

---

*) Undecim exempla huius formae collegit Mommsenius J. L. A. ind. grammat. p. 603 (dat. sing. in a).

8, 475; 12, 100) secundum usum rationemque linguae latinae translatas esse docet, conjecturae non favent; nempe cum conjunctae litterae κμ, χμ, μν, φν, ζν pro ore Romano duriores essent, vocales copulae vel u (ante m consonantem) vel i (ante n) intercalatae sunt. —

Similiter I vocalis saepius, imprimis ante dentales litteras ejecta est; jam in carmine Saliario forma cante pro canite inerat, teste Varrone de l. l. 7, 27 divum empta cante, divum deo supplicante. Praeterea caldus pro calidus Cat. d. r. r. 6; Orell. 6086 Petron. c. 41 (J. L. A. 382, 479, 571 [quater]); caldarium J. N. 3673, soldus (J. L. A. 206, 114 et 115); matus vel potius mattus, ut ex glossario Remensi Tilebomius adnotat, in Petronio c. 41, ex „madidus“ contracta. Ante m ejecta est in vicesma (Orell. 1433), Decmus, al. (Corss. II, 24). Cujus mutilationis plurima vestigia in romanensibus quoque linguis exstant: velut, caldo, chaud (calidus) freddo, froid (frigidus) fibbia (fibula) âme, pro anma (anima); dompna, donna (domina) lurdo (luridus) cfr. Diez, gramm. rom. 1 p. 118. Notissima est I et E vocalium ejectio in formis verbalibus, quae apud poetas scenicos usitatissimae sunt. Corssenius II, p. 26—32 et p. 132 has formas tanta, qua solet esse, diligentia ex antiquis scriptoribus congessit, ut novis exemplis earum numerum augere nequeam. —